



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitare, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XIV. An Moniali concedi possit egressus, vt sit Abbatissa alterius
Monasterij? Vbi etiam de aliis casibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

23 *postea ingrediendi necessitas relinquatur. Vide etiam quae dicuntur dubit. 14. & 19. Quartus est, si Abbatisa egrediatur ad recipiendum iuramentum fidelitatis à Domino temporali in aliquo casu omnino necessario, de quo dicam dubit. 15. in fine.*

DVBITATIO XII.

An Moniali concedi possit egressus è clausura propter morbum Gallicum, S. Lazari, ignem S. Antonij, vel simile alium morbum contagiosum?

SUMMARIUM.

- 1 *Moniali laboranti morbo contagioso, ut gallico, Sancti Lazari, ignis sancti Antonij, & alicuius similis, dari potest licentia egrediendi è clausura, si moraliter loquendo, non possit intra Monasterium curari sine gravi periculo contagionis aliarum.*

Respondetur ex dictis Dubit. praecedenti ex factis probabili sententia Doctorum affirmatiue, si moraliter loquendo, non possit Monialis intra Monasterium curari sine gravi periculo contagionis aliarum Monialium, quia in his casibus etiam locum habet ratio boni communis, & hi casus sunt similes lepra expressa in Motu Pij V. Sic contra Zerolam, & alios supra citatos, docent Llamas in *Appendice*, §. 10. Layman *cit. num. 1.*

DVBITATIO XIII.

An Moniali concedi possit egressus propter belli, praesertim ab haereticis, vel infidelibus imminentis timorem?

SUMMARIUM.

- 1 *Moniali satis probabiliter, si moraliter loquendo timeatur fore, ut nisi se in locum tutum recipiat, patiatur detrimentum, potest dari licentia egrediendi è clausura.*

Respondetur etiam ex dictis satis probabiliter, affirmatiue, si moraliter loquendo, timeatur fore, quod moniales, nisi in locum tutum se recipiant, detrimentum patiantur; quia & in hoc casu locum habet ratio boni communis, & est casus omnino similis. Sic contra Zerolam *verb. Moniales*, ad 16. *quasi. dubit. 2.* & alios supra citatos docent Nauart. *Comment. 4. num. 48. de Regular. Guttierrez capite 4. num. 9. Azorius tom. 1. lib. 13. cap. 8. quest. 1. ad fin. Layman. citat. num. 1. Lezana tom. 2. cap. 25. num. 20. Bonacina de clausura, quest. 1. punct. 9. num. 7. Cened. collectan. 31. ad Sextum Decretal. num. 2. & Barbosa de offic. & potestat. Episcop. 3. parte, allegat. 102. num. 20.*

DVBITATIO XIV.

An Moniali concedi possit egressus, ut sit Abbatisa alterius Monasterij, ubi etiam de aliis casibus.

SUMMARIUM.

- 1 *Moniali probabiliter, ut sit Abbatisa alterius Monasterij, eiusdem Religionis tamen, & habitus, dari potest licentia egressus.*
- 2 *Religiosum assumi in Praelatum alterius Religionis, vel habitus prohibetur expresse.*
- 3 *Moniali conceditur egressus à Concilio Tridentino, dummodo in Monasterio, in quo facta est Abbatisa, non reperitur Monialis idonea cum dotibus, & qualitatibus ibi requisitis ad munus praedictum exercendum.*
- 4 *Moniali concedi potest egressus, ut sit Magistra Novitiarum in alio Monasterio, eiusdem tamen Ordinis, & habitus, quin ut praesit Porta, vel Rota, vel alteri muni.*
- 5 *Monialis finito officio potest de consensu utrinque Monasterij ad prius Monasterium redire, etiamsi socia, cum qua egressa fuerit, redire non velit.*
- 6 *Locorum Ordinarij, & Superiores Regulares non possunt transferre Moniales de Monasterio ad Monasterium, nisi obienta facultate ab Apostolica Sede, vel à S. Congregatione.*
- 7 *Translatio Monialium, quando ex iusta causa fieri debet, facienda est in Aurora, & deduci debent à personis grauib, & honestis, & sanguine ei proximioribus.*
- 8 *Moniali concedi potest egressus, si sit necessaria ad fundandum nouum Monasterium.*
- 9 *Item ad reformandum aliud Monasterium eiusdem ordinis, & habitus.*
- 10 *Item si sine strepitu non possit corrigi timore Cognatorum.*
- 11 *Item in poenitentiam criminis, ut de simoniace recepta, & recipiente statuitur, quod in aliud Monasterium includatur.*
- 12 *Contraria sententia, qua nititur in declarationibus Sacrae Congregationis, si ea authenticè constent, non est improbabilis, non tamen reddit oppositam improbabilem.*
- 13 *Monialis quacunque causa transferatur, alii debet à Monasterio, à quo transfertur.*
- 14 *Monialis si transeat ad aliam Religionem de consensu Religionis à qua transit, deferre debet secum dotem, & alia bona, quae ad ipsam spectant, secus si ex propria voluntate.*
- 15 *Monialis si transeat de vno Monasterio ad aliud eiusdem Ordinis, dotem portare non debet.*

Respondetur etiam ex dictis probabiliter affirmatiue, si fiat Abbatisa alterius Monasterij, sed eiusdem Ordinis, & habitus (nam Religiosum assumi in Praelatum alterius Religionis, vel habitus prohibetur expresse in *Clement. 1. de elect.*) quia & in hoc casu etiam agitur de bono Religionis communi, ad quod spectat probam Praelatam habere. Accedit, quod non sit egressus omnino è clausura. Accedit secundò, quod Tridentinum *sess. 25. cap. 11. de Regularibus, cum in cap. 5. clausuram commendauerit*, concedit egressum, si in proprio Monasterio non reperitur Monialis ad Abbatisa munus

nus idonea dotibus, seu qualitibus ibi requisitis, atque sic contra Zerolam *part. 2. verb. Moniales, dub. 8.* S. Congregationis declarationes pro sua sententia afferentem, Azorium *cit. quæst. 1.* Sayrum, Barbosa, Tamburinum, Lezanam, Dianam, Castellum, & Gauantum in locis *infra* citandis, docent gloss. in *cap. periculoso*, in *princip. verb. perpetua*, de *statu Regular.* in 6. Ioan. Andr. *ibid. num. 5.* Francus in *fin. Dominicus num. 11.* Syluester *verb. Religio 7. q. 16. dist. 2.* Nauarr. *lib. 2. consil. 48. num. 3.* de *statu Monachorum.* & *Comment. 4. num. 48. not. ab. 4.* de *Regular.* Collector privilegiorum Mendicant. *verb. Clausura Monialium, cas. 3.* Gutierrez *qq. Canon. lib. 1. cap. 14. n. 10.* & 11. Rodriguez *qq. Regul. tom. 1. quæst. 49. art. 5. coroll. 2.* Layman & Llamas *supra cit. Hieronym. Rodriguez in Compend. qq. Regular. resol. 26. num. 28.* Portell. in *addit. ad dubia Regular. verb. Monial. num. 1.* Villalobos in *summa tom. 2. tractat. 35. diff. 45. num. 9.* Sorbus *verb. Clausura, casu 6.* Miranda de *Monialib. quæstione 3. art. 2.* & Bonacina de *clausura, quæst. 1. punct. 9. num. 10.*

4 Ex dictis sequitur, quod Moniali egressus concedi etiam possit, ut sit Magistra Nouitiarum in alio Monasterio, eiusdem tamen Ordinis, & habitus, ut supra dicebatur, quin & ut præsit portæ, vel rotæ, vel alteri muni, quod ad bonum Religionis, vel Monasterij commune spectat; quia ex recta horum munerum administratione pendet etiam bonum Religionis, vel Monasterij commune: atque adeo sunt casus similes exceptis. Collector privilegiorum Mendicantium, Layman, Bonacina, Sorbus, & Rodriguez in *locis supra cit.* (vbi recte subdunt, quod finito officio, possit Monialis de consensu utriusque Monasterij ad prius Monasterium redire; etiam si loca, cum qua egressa fuerat, redire non velit) quamvis contrarium tradat Barbosa in *Collectan. Bullar. verb. Monialium translatio 8.* ex S. Congregationis Episcoporum Regularium declaratione in vna Tortonenfi 1603; in his verbis: *Moniales ab vno Monasterio non transferant locorum Ordinarij, vel Superiores Regulares in Monasteria receter erecta pro nouitiarum in ea introducendum institutione, nisi ob eam à Sede Apostolica, vel à S. Congregatione spe ius facultate.* Vide Barbosa loco *cit.* & de offic. & potest. Episcop. *allegat. 102. num. 26.* & Armandariz in *addit. ad recopilat. legum Nauarra, lib. 2. tit. 18. lib. 7. de Religiof. num. 100.* vbi referunt alteram eiusdem S. Congregationis declarationem huius tenoris: *Moniales, vbi ad aliud Monasterium ex iusta causa transferendæ sunt, translatio debet fieri in auctoritate, ut illæ à paucis conspici possint, atque à personis grauib, & honestis, & sanguine eis proximioribus deducantur.*

8 Sequitur etiam, quod egressus concedi possit, si is ad nouum eiusdem Ordinis Monasterium fundandum necessarius sit, quia & in hoc casu etiam militat eadem ratio de bono communi Religionis, vel Monasterij, atque adeo & hic casus etiam est similis exceptis, Collector privilegiorum Mendicant. *casu 2.* Rodriguez *tom. 1. quæst. 49. art. 5. Nauar. lib. 3. consil. 48. de Regular. Confectus in privilegia Mendicantium, tit. 10. cap. 4.* & Layman. *cit. num. 1.*

9 Sequitur etiam, quod idem dicendum sit ob eandem rationem, si egressus Moniali necessarius sit ad aliud eiusdem Ordinis, & habitus Monasterium reformandum. Collector, Layman, & Rodrig. in *locis cit.*

10 Sequitur etiam, quod idem dicendum, si Monialis egressus necessarius sit causa correctionis eiusdem Monialis, si scilicet in eodem Monasterio timore cognatorum, vel alia simili causa corrigi commodè non possit; quia Monialem sine strepitu corrigere spectat etiam ad bonum commune Religionis, vel Monasterij: sic Collector *casu 4.* Sorbus *casu 9.* Nauar. loco Thom. Delbene de *Immunit. Eccles. Pars 11.*

cit. Rodriguez art. 5. coroll. 2. Portell. in *dub. Regular. verb. Clausura Monialium, num. 21.* Bonacina de *clausura, quæst. 1. punct. 9. num. 12.* & Miranda de *Monialibus, lib. 3. art. 2. & 3.*

Sequitur etiam, quod idem dicendum ob eandem rationem in casu, quo iure cautum est, quod Monialis in poenitentiam criminis (ut de simoniace recepto, & recipiente statuitur in *cap. quoniam, de simonia*) in aliud Monasterium includatur, præsertim quia talis iuris correctio nusquam apparet: Doctores *supra citati.*

Quamvis iuxta ea, quæ dicebam *dub. 11.* Sicut de *12* *rel. g. lib. 1. cap. 9. num. 6.* Zerola in *prax. Episc. part. 2. verb. Moniales, dub. 8.* & 11. Barbosa de *potest. Episcop. allegat. 102. num. 25.* & in *collectan. Bullarum, verb. Monialium 8.* Tamburin. de *iure Abbat. disputat. 21. q. 1. 3. num. 4.* & Lezana *verb. Clausura, num. 16.* & *tom. 1. cap. 25. num. 20.* Dian. *part. 3. tract. 2. resol. 99.* & 127. Castellin. de *elect. cap. 17. num. 6.* & Gauantus in *Man. Episc. verb. Monialium clausura, num. 4.* in omnibus his casibus sentiant oppositum, dicantque, siue causa nouæ foundationis, siue causa reformationis, siue causa correctionis, siue causa Prioratus, vel alterius officij non licere egressum, sed in omnibus dictis casibus consulendam esse Sedem Apostolicam, & afferunt pro tali sententia S. Congregationis declarationem in his verbis: *Monialem nulli sibi subiciendam ex vno Monasterio ad aliud transmutare possunt locorum Ordinarij, vel Superiores Regulares, & ex causa seditionis, vel incorrigibilitatis, vel criminis perpetrati.* Et alteram declarationem in simili forma Procuratoribus Generalibus Ordinum intimatam: ad quas tamen declarationes cum Portello in *Respons. Moral. tom. 2. casu 31* dici posset, non constare de eis authenticè, atque ad eas ad summum facere opinionem satis probabilem, non autem omnino certam, ut oppositam reddant improbabilem. At quidquid sit de hoc, illud tamen certum est, quod si Monialis transfertur ad aliud Monasterium, siue causa correctionis, siue causa poenitentiae, ali debeatur à Monasterio, à quo transfertur. Rota *decis. 109. num. 2. & segg. & in recentior.* & Doctores quos citat, & sequitur Tamburin. de *iure Abbat. disp. 21. quæst. 1. num. 11.*

Ceterum, an in casu, quo Monialis transfertur ad aliud Monasterium, vel ad aliam Religionem, deferre secum debeat dotem, & alia bona, quæ ad ipsam spectant?

Respondetur, si transit de vna Religione ad aliam, & cum consensu Religionis, à qua transit, deferre debet: quia ex *l. si is qui, ff. de iure dotium*, dos esse debet vbi onera matrimonij sunt; tum quia dos datur pro Moniali, accessorie ad personam, & sic veluti sub tacita conditione, donec in Religione illa perseverauerit, sicuti dos in matrimonio carnali traditur viro sub conditione, donec matrimonium durauerit: sic Bald. in *Novell. de dote, part. 1. num. 10.* Socinus *consil. 222. num. 3.* Tapia *Authent. ingressi, verb. sua, .6. num. 10.* Sicque ex Tamburino de *iure Abbat. disp. 21. quæst. 6.* decum videtur in vna Barcinonensi, 10. Aprilis 1645. quatenus ibi inter condiciones necessarias pro translatione Monialis vna requiritur, quod dotem soluat à ceteris Monialibus præstari solitam.

At deferre non debet, si transit ex voluntate propria, & Religionis, ad quam transit, quia in tali casu, cum prior Religio non consentiat, non debet dote iam sibi acquisita priuari; præsertim quod cum posterior Religio volens Monialem admittat, hoc incommodum sibi imputare debet: & in hoc sensu intelligo Nauarrum, & Rodrig. quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 7. moral. cap. 32. num. 12.*

Dixi, quod deferre debet in priori casu, si transit de vna Religione ad aliam; quia si solum transit de vno Monasterio

Monasterio ad aliud eiusdem Religionis, adhuc in priori casu, ex probabiliori sententia Doctorum deferre non debet; quia inter Monasteria eiusdem Religionis est maior conuenientia, & quasi implicita conditio, vt ad inuicem admittatur Monialium transitus, quando sic expedire visum fuerit, accedente praesertim voluntate Superioris, quae necessaria est in his casibus; & etiam in hoc sensu intelligo id, quod Barbosa de officio, & potest. Episcop. allegat. 102. n. 26. ex Armendar. in Addit. ad recopilat. leg. Nauarra lib. 2. tit. 18. lib. 7. de Relig. num. 100. & 105. refert decifum de dote relinquenda Monasterio, à quo receditur.

DVBITATIO XV.

An Moniali concedi possit egressus, vt visitet Monasteria sibi subiecta? Vbi etiam an recipiat iuramentum fidelitatis à Domino temporali?

S V M M A R I V M.

- 1 Moniali concedi non potest egressus, vt visitet Monasteria sibi subiecta, quia id decentius, & commodius praestari potest per Praelatos regulares.
- 2 Abbatissa, seu Priorissa solum conceditur licentia egrediendi in casibus, in quibus conceditur ceteris Monialibus.
- 3 & 4 Abbatissa non potest egressus licentia concedi in casu, qui possit commode, & facile expediri, seu praestari per alios, & è contra.
- 5 Abbatissa concedi potest licentia egrediendi ad recipiendum iuramentum fidelitatis à Domino temporali, si fieri non possit per Procuratorem.
- 6 Textus in cap. periculofo, §. verum quando de statu Regular. in 6. nullibi apparet correctus, quinimmo per Pium V. omnino confirmatus.
- 7 Abbatissa potest auctoritate iuris egredi è clausura, si superior sine iusta causa licentiam denegat, & euidenter constet de iniustitia ipsius.
- 8 Abbatissa in dubio stare debet iudicio superioris.

- 1 Respondetur ex dictis negatiue, quia licet Monasteria visitare spectet bonum commune Religionis, id tamen non per Abbatissam, sed per Praelatos Regulares decentius, & commodius praestari potest; sic Archidiaz. in cap. periculofo, num. 1. de statu Regular. in 6. Ioan. Andr. ibid. num. 1. & 2. Dominicus. num. 6. & seqq. Ancharan. num. 2. notab. 3. Franch. num. 4. notab. 6. & probatur ex Motu Pij V. qui incipit: *Decori, & honestati*, vbi Pontifex expressè prohibet huius rei causa egressum Abbatissae, & Priorissae cuiuscumque Monasterij, ibi: *Seu aliorum Monasteriorum, etiam eis subiectorum*; & solum licentiam egressus eis concedit in casibus, in quibus conceditur aliis Monialibus, & obtenta licentia, quae requiritur ad egressum aliarum Monialium. Nauar. Comment. 4. num. 47. Notab. 2. & 3. de Regular.
- 3 Ex his sequitur, quod Abbatissa non possit egressus licentia concedi in casu, qui possit commode, & facile expediri, seu praestari per alios, verbi gratia ad significandum camentariis vbinam, & quantumnam debeat esse Ecclesiae aedificium, vel qua forma construendum, necnon ad inuisendum, num illud sibi placeat. Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina de clausura, quast. 1. punct. 9. num. 5.
- 4 Sequitur secundo, quod è contra Abbatissae, quin & ceteris Monialibus, possit egressus licentia

concedi in casu, quo non possit per alios praestari, verbi gratia si Monasterium ex iusta causa de loco ad locum mutetur; praesertim quia & in tali casu de bono communi Monialium tractatur. Collector priuilegiorum Mendicant. verb. *Clausura Monialium*, casu 6. & Rodriguez tom. 1. quast. 49. art. 5. coroll. 3. & fauet Tridentinum sess. 25. de Regularib. cap. 5. quatenus ibi statuit, quod Monasteria sita extra Urbis moenia, ad alia loca intra Urbem reducantur, si sic Episcopis, & aliis Superioribus visum fuerit.

An autem Abbatissae egressus licentia concedi possit in casu, quo ratione feudi, quod habet Monasterium, iuramentum fidelitatis ab aliquo Principe, vel domino seculari praestari debet, nec potest effici, vt is illud per procuratorem velit praestare?

Respondetur affirmatiue; quia in hoc casu agitur de bono communi Monialium, cum fieri possit, quod iuramento non praestito, feudum in praedictum Monasterij deperdatur; tum quia expressè statuitur in cit. cap. periculofo, §. verum quando, de statu Regular. in 6. quod exire possit Abbatissa decenter, & honestè comitata, vt iuramentum dictum suscipiat, statim, eo suscepto, reditura ad Monasterium; neque huius cap. periculofo, correctio vsquam apparet; quinimmo Pius V. in Motu proprio, Circa Pastoralis, omnia in dicto capite contenta confirmat. Lezana tom. 1. cap. 26. num. 10. & verb. *Clausura*, num. 13. Bonacina de claus. quast. 1. punct. 9. & Syluester verb. Religio 7. quast. 16. dist. 2. vbi rectè subdit, quod si Superior sine iusta causa licentiam denegat, possit Abbatissa auctoritate iuris egredi: quod intellige, si euidenter de iniustitia Superioris constet, non item in dubio, quia in dubio Abbatissa stare debet iudicio Superioris, cum huius, & non Abbatissae, sit causas egressus discutere, & approbare, & cum in facto Superioris delictum non praesumatur.

DVBITATIO XVI.

An Moniali concedi possit egressus, vt petat Eleemosynas necessarias Monasterio?

S V M M A R I V M.

- 1 Moniali conuersa, & non professa conceditur licentia egressus pro quatuor Monasterij, ex dispositione Pij V. & si professa est concedenda, sit annorum 40. & in domibus contiguis extra Monasterium habitet.
- 2 Conuersa professa, si Monasterium habeat, computatis laboribus, sufficientes redditus pro sustentatione, sunt reducenda intra clausuram.
- 3 Conuersa, quae mittuntur ad petendas eleemosynas, non debent esse plures quam octo, & quas conditiones habere debeant.
- 4 Conuersis professis non prohibetur exitus ad audienda sacra, & percipienda sacramenta.
- 5 Conuersa, quae egrediuntur de domibus contiguis, quae non sunt Regulares, sed extra Monasterium, etiam ad inhonesta perpetranda, non peccant contra clausuram.
- 6 Monasterijs Monialium pressis necessitate debetur dimidium omnium eleemosynarum à quibuscumque ubicumque terrarum quacumque dispositione pauperibus faciendarum, nisi sint in pauperes certos erogandae, nec sint ad usus alios, quam sustentationem, destinae.
- 7 Gregorius XIII. praeceptum de dicta dimidia eleemosynarum